

randa ornamenta et vasa sacra, aliave ad divinum cultum peragendum, alendi sunt Episcopi, Presbyteri et Ministri qui Ecclesiae serviunt, Clerici in litteris et bonis moribus instituendi, curandi pauperes et infirmi, multa denique impendenda quae communem Ecclesiae utilitatem spectant. Qui autem fieri haec possunt sine aedibus, sine censu, sine copia rerum? Habet igitur Ecclesia jus acquirendi, possidendique temporalia bona, quibus communia onera perferat, quemadmodum civili societati jus est exigendi praestationes et tributa, vel etiam bona stabilia et fructifera possidendi, quibus publicae necessitati et utilitati prospiciat.

His positis, secundo loco affirmo, illud jus ab ipso quoque divino jure seu ex potestate divinitus Ecclesiae tradita proficisci. Enimvero, saevientibus priorum saeculorum persecutionibus, quanquam Principes vi et legibus obstarent, quominus Ecclesia ceu Collegium illicitum temporalibus bonis potiretur, ipsam tamen domos, agros, aliaque cum mobilia, tum stabilia bona adeptam esse et possedisse ex Constantini Edicto, quod supra protulimus, compertum exploratumque est. Huc vero praecipue facit illud S. Pauli I^o ad Corinth. cap. 9 : « Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt : et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. »

§ 80.

DE LEGE AMORTIZATIONIS

Ex his praemissis illud plane consequitur, quod saltem ob defectum jurisdictionis invalida sit lex amortizationis, quam etiam *manuum mortuarum* vocant, hoc est Principium Edictum, quo generatim statuitur ne res immobiles in Ecclesias, seu alia loca pia sive inter vivos, sive in ultimis voluntatibus

sine consensu civilis potestatis transferantur. Quae quantaque adversus eam legem Paulus V, alique Pontifices gesserint, locuples testis historia est. De hac lege multa a nobis dicta sunt in Jure publ. Ecclesiast. § 69.

CAPUT II.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

§ 81.

DE ORIGINE ET NATURA BENEFICIORUM.

Haec bona ecclesiastica universim consideravimus : nunc de Beneficiis Ecclesiasticis, quae sunt veluti quaedam bonorum ipsorum portiones spirituali officio adnexae, dicendum est. Siquidem Beneficii nomine intelligimus « Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae ratione spiritualis officii auctoritate Ecclesiastica constitutum. » Theologis vero Beneficium Ecclesiasticum est « Jus obeundi officii spiritualis auctoritate ecclesiastica constituti, cui jus percipiendi fructus perpetuo adnexum est ; » idque ob eam causam, quod spirituale officium in Beneficio praecipuum sit, jus autem percipiendi fructus omnino secundarium et sacro ministerio adnexum. Canonistae sumpserunt definitionem suam ex trita juris doctrina, quod « beneficium datur propter officium » unde significatur nomine beneficium non ipsum officium intelligi, sed jus percipiendorum fructuum quod datur propter officium. Caeterum utram definitionem eligas, non multum interest, quandoquidem ipsi Canonistae praecipuam causam beneficium, ejusque naturam in sacro ministerio constituunt.

Sic accepta beneficia primis Ecclesiae saeculis ignota fuerunt, nam bona et redditus ecclesiastici in communi admini-

strabantur, et singuli Clerici ex communi aerario alimenta accipiebant. Sed ineunte saeculo sexto, et facta honorum partitione ea vigere coepit consuetudo, ut Episcopi, penes quos summa rerum ecclesiasticarum administratio relicta erat, aliquibus Clericis sive humanitatis, sive meritorum intuitu praedia quaedam ecclesiastica in usumfructum concederent. Huiusmodi concessionem, veluti quaedam beneficiorum imagines exstiterunt, non proprie dicta beneficia, non enim in titulum, nec ratione spiritualis officii, sed Episcoporum munificentia, aut remuneratione, gratia, misericordia, et precario dabantur; nec praedia ipsa spirituali officio perpetuo adnexa erant, sed morte Clerici, aut elapso concessionis tempore ad commune Ecclesiae aerarium revertebantur. Paulatim vero, et veluti per gradus factum est, ut certis huiusmodi honorum ecclesiasticorum partibus suis cuique titulus et officium spirituale perpetuo adnecteretur, et inde beneficia proprie dicta originem duxerunt.

Jam vero ex beneficii definitione perspicuum est ad ipsius naturam tria maxime pertinere, nempe jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae, officium spirituale eidem adnexum, et Ecclesiae auctoritatem, seu institutionem. Et ad primum quod attinet, Beneficium situm est in jure, hoc est legitima facultate percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae, eaque perpetua tum ratione beneficii, quod semel erectum semper permanet, tum praecipue ratione Beneficiarii, qui non ad tempus, sed in perpetuum, hoc est quousque vixerit, jus ad percipiendos redditus consequitur. Ex quibus colliges a natura beneficiorum distare tum patrimonia sacra, quae non ex bonis Ecclesiae, sed laicorum constituuntur, tum pensiones ecclesiasticas, quae morte Beneficiarii extinguuntur, tum Capellanas laicales seu manuales quae pro lubitu concedentis auferuntur. Huc etiam pertinent beneficia manualia quae ad nutum adimi possunt, quaeque a Capellaniis laicalibus in eo tantum differunt, quod a potestate ecclesiastica concedantur.

Haec tamen Leurenus in foro Benefic. part. 4 quaest. 84 veris beneficiis adjungit. At certe Vicariae temporales non sunt proprie dicta beneficia, perpetuae vero beneficia dicuntur, inspecto nempe jure perpetuos redditus percipiendi « non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetuae Vicariae proventibus est provisum » cap. POSTULASTI 27 de Rescriptis. Verumtamen si inspiciamus, quod in Beneficiis praecipuum est, jus nempe obeundi sacri ministerii, Beneficia vocari nequeunt, cum jus illud proprium et nativum in eo maneat, cujus loco et vice Vicarius perpetuus constituitur. Secundo loco ad naturam beneficii requiritur officium spirituale, veluti praedicatio verbi, administratio Sacramentorum, aliudque ministerium in Ecclesia obeundum, cum beneficia ecclesiastica instituta sunt, ut « in Ecclesiis devotum servitium jugiter impendatur, » ut ait Innocentius III ep. 82 ad Auxitanum Archiep.; et Tridentini Patres sess. 21 de Reform. cap. 3 docent « beneficia ad divinum cultum et ecclesiastica munera obeunda esse constituta. » Unde consequitur neque laicos beneficiorum capaces esse, neque jus percipiendi proventus ecclesiasticos ratione alicujus profani muneris in Ecclesiae utilitatem explendi beneficium dici posse. Tertio denique non est beneficium ecclesiasticum nisi accedat auctoritas Pontificis vel Episcopi, quorum est bona in dotem constituenda acceptare, eisque spirituale officium adnectere, atque adeo in Beneficii titulum erigere. Hinc proventus licet perpetuo stabiles cum onere alicujus ministerii spiritualis, ex. gr. legendi Missas in certa Ecclesia vel altari, aliasve functiones obeundi, non requisita a fundatore, aut expresse remota Episcopi auctoritate, qua huiusmodi fundatio in titulum erigatur, non Beneficia ecclesiastica, sed Capellaniae laicales, vel pia legata censenda sunt.

DE DISCRIMINE INTER BENEFICIA ET CAPELLANIAS.

Qualis autem differentia sit Beneficii et Capellaniae, uberius dicendum est. Praecipua Capellaniae divisio est in *manualem* et *collativam*. Manualis, quae etiam mercenaria et laicalis dici solet, est pia fundatio, seu assignatio certi fundi, vel redditus, ut tot Missae celebrentur, adjunctis interdum oneribus aliis a Capellano explendis. Capellania collativa, quam etiam ecclesiasticam vocant, illa est quae auctoritate Episcopi erigitur, et per canonicae institutionis litteras ab Ordinario confertur; quam obrem verum Beneficium est, dum nihil a beneficio ecclesiastico praeterquam in nomine discrepet. Jam vero ut Capellaniae laicales, legata pia, et caeterae id genus fundationes a Capellaniis ecclesiasticis et collativis, seu a veris beneficiis distinguamus, diligenter dispiciendum est, num in eis inveniantur qualitates quas diximus ad verinaturam beneficii pertinere. Id vero ex tabulis fundationis ejusdem cognoscere in primis poterimus. Si etenim fundator aut expresse edixerit velle se Capellaniam collativam, erigere, aut Episcopi auctoritatem in ejus fundatione, vel collatione requisierit, aut si eam voluntatem suam aliis verbis declaraverit, ex. gr. si Capellaniam erigat in certa Ecclesia, si dotem constituat, et Capellanos nomine Rectorum, aut Capellaniam ipsam Beneficium vocaverit, Capellaniam collativam, seu proprie dictum Beneficium instituisse dicendus est. At si perspicuis verbis mentem suam de fundanda Capellania laicali significaverit, aut si Episcopum ab ejus fundatione et collatione excluserit, aut si bona haeredibus reliquerit cum onere certistipendii Capellano persolvendi, aut eisdem arbitrium fecerit Capellanum ad libitum removendi, Capellania laicalis putanda est.

Si autem nec testamentum, nec alia scriptura supersit, unde vera et genuina qualitas piae fundationis elici queat, tum ulti-

mus illius status inspiciendus est. Igitur si spatio quadraginta saltem annorum constet, Capellaniam ab Ordinario per institutionem canonicam collatum esse, Capellania collativa verumque beneficium censetur; contra vero Capellania laicalis putatur, si a Patronis ipsis etiam laicis sine ulla Episcopi institutione collata sit. Resumitur haec regula ex cap. 5 de Praebend. in 6^o ubi Bonifacius VIII statuit quadragenariam observantiam seu legitimam praescriptionem in beneficiis etiam vim habere; sed in re perspicua, quando scilicet compertum exploratumque est fundatorem veluisse, ut Capellania nec collativa, nec Beneficium esset, sed omnino laicalis, tum non sufficit, eam collatam fuisse velut Beneficium spatio quadraginta annorum, sed ex eodem Bonifacio VIII in cap. EPISCOPUM de Praescript. in 6^o tempus immemorabile requiritur, eoque in casu putari potest etiam consensum Patroni expressum vel tacitum interfuisse. Non desunt tamen Doctores qui omnem praescriptionem abjiciant, cum aperte constet de legitimo statu praecedente, quia ex trid. Synodo sess. 25 de Reform. cap. 9 pias fidelium voluntates defraudare aequum non est, et proinde nequeunt ullo temporis lapsu quam longissimo, ullaque auctoritate, nisi Apostolicae Sedis ex justa et necessaria causa commutari. Maxime vero interest, num aliqua pia fundatio induat nec ne Beneficii ecclesiastici naturam probe noscere. Namque in beneficiis ecclesiasticis redditus directe atque immediate per beneficiarios ipsos percipiuntur, et bona administrantur, exclusis omnino Patronis. Sed bona et redditus Capellaniarum mere laicalium possidere et administrare possunt haeredes fundatoris, ipsique Patroni laici, si quidem in fundatione id cautum sit, et dummodo per idoneas personas explenda curent onere, quae in ipsa fundatione indicta sunt. Itaque bona hujusmodi Capellaniarum laicalia manent, ut proinde pacta super eisdem sine Pontificis auctoritate conventa non habentur simoniaca, et jus ad easdem praesentandi, atque earumdem concessio sine consensu Episcopi fieri potest: qua de re vide Leurenium in foro

Benef. part. 1 quaest. 96. Similiter beneficia ecclesiastica neque ad tempus, neque sub conditione revocabili conferri possunt, quum tamen Capellaniae laicales recte conferuntur Presbytero, vel ad nutum mobili, vel in perpetuum sicuti voluntas fundatoris vel patroni statuerit. Item Capellaniae laicales et ad nutum amovibiles Synodaticum, seu Cathedraticum non solvunt, nec cadunt sub spolio, nec reservationibus afficiuntur, bene quidem beneficia omnis generis. Denique Capellaniae a fundatore ejusque successoribus etiam laicis, praetermissa Episcopi institutione; per simplicem Presbyteri deputationem conferuntur, beneficia vero sine canonica institutione obtineri non possunt.

§ 83

DE BENEFICIORUM DIVISIONE.

Multi sunt beneficiorum genera et divisiones, quae aut ratione officii spiritualis, aut ratione personarum a quibus conferuntur, aut ratione earum quibus conferuntur, aut denique ratione modi conferendi fieri solent. Igitur ratione officii spiritualis dividuntur: 1. In *majora et minora*: Majora dicuntur, quibus primi in Ecclesia gradus cum animarum cura et externa jurisdictione adhaerent, veluti Pontificatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatiae cum jurisdictione quasi Episcopali, et Cardinalatus saltem ratione tituli. Minora censentur reliqua omnia beneficia. Qua in re illud praecipuum est, quod majora beneficia praesertim in odiosis non veniunt beneficii nomine generatim sumpto, cum beneficia simpliciter non sint, sed apices dignitatum. 2. Dividuntur in *parochialia et curata*. Parochialia dicuntur, quibus animarum cura cum jurisdictione in foro interno, aliaque parochialia jura adnexa sunt: curata autem, quae curam quidem animarum habent, et jurisdictionem in foro interno, non tamen reliquis parochialibus juribus praedita sunt, et praesertim jure assi-

stendi matrimoniis, et Baptismatis administrandicarent. Quare ut verbis utar Ludovici Engel in Collegio univ. Juris Canon. lib 3 tit. 29: « Non semper idem est Beneficium curatum et Ecclesia Parochialis, nam Ecclesia, sive beneficium curatum generalius quid est continens sub se plures species, et quamvis Parochia sine Cura non sit, potest tamen Cura sine Parochia esse, utin Ecclesiis quae filiales appellantur. » 3. Alia sunt *duplicia*, alia *simplicia*; duplicia vocantur, quae jurisdictionem, praecedentiam, sive administrationem quamdam adjunctam habent, qualia sunt dignitates, personatus, et officia. Contra autem simplicia sunt, quibus nec cura animarum, nec ulla jurisdictionis, aut praecedentia, vel administratio incumbit. Beneficiis simplicibus accensendi sunt Cathedralium et Collegiatarum Canonicatus, licet Canonicatus, praesertim Cathedralium, quasi dignitatibus accedant, atque ita vulgari nomine beneficiorum simplicium in odiosis non contineantur. Alio quoque sensu beneficia simplicia vocantur, quae assiduitatem seu residentiam non postulant, unde alia emersit beneficiorum divisio in *residentialia* et in *simplicia*. 4. Alia sunt *uniformia* quae scilicet ejusdem sunt nominis et officii, alia *difformia*, quibus est diversus titulus et officium. 5. Denique dividuntur in *compatibilia* et *incompatibilia*, seu quae in eadem persona conjungi possunt, quaeve nequeunt. Incompatibilia vero sunt aut ratione praebendae, si nempe redditus unius beneficii ad congruam Clerici sustentationem satis sint: aut ratione officii, si videlicet utriusque beneficii munera ab uno eodemque Clerico expleri rite nequeant.

Inspectis autem Personis conferentibus dividuntur in *reservata* et *affecta*, quorum nempe collatio ad Pontificem pertinet, et in *non reservata neque affecta*, quorum collatio Praelatis inferioribus relicta est. Inspectis vero Personis quibus conferuntur, alia *regularia* sunt quae solis Monachis vel Regularibus, alia *saecularia* quae reliquis Clericis conferuntur. In hac Beneficiorum divisione monendum est, omnia beneficia

ex primaeva sua institutione saecularia praesumi quoad aliter demonstratur. Regularia vero quatuor modis demonstrantur : 1. Ex natura beneficii, si monastica officia contineant; 2. fundatione, si per voluntatem fundatoris ab Episcopo probatam Regularibus addicta sint; 3. unione, quando beneficium legitime et perpetuo Monasteriis unitum et incorporatum est; 4. praescriptione, cum scilicet beneficium quadraginta annorum spatio « ab uno vel pluribus Religiosis exstitit continue et pacifice gubernatum ut praescriptio legitima sit completa » cap. 5 de Praeben. in 6°.

Denique beneficia ex diversa conferendi ratione dividuntur in *electiva*, quae per legitimam electionem et Superioris confirmationem, in *patronata*, quae ad patroni praesentationem aut nominationem, et Episcopi institutionem, et demum in *collativa* seu *libera*, quae per liberam Superioris collationem sine praevia electione, vel alterius praesentatione conferuntur.

§ 84.

DE ERECTIONE BENEFICIORUM.

Erectio Beneficiorum est actus legitimus quo sacrum aliquod officium, vel ministerium in certa Ecclesia, vel altari a Clerico obeundum constituitur cum perpetuo redditu, quem Clericus jure suo percipiat tum alimentorum et stipendii causa, tum ad ferenda onera beneficii. Ex quo perspicuum est multa postulari ad erectionem Beneficii rite recteque perficiendam. Scilicet requiritur : 1. legitima Superioris Ecclesiastici auctoritas; hujusmodi vero est vel Summi Pontificis, vel Episcopi. Igitur Romano Pontifici reservata est erectio Sedium Episcopali, et his majorum, itemque Capitulorum tam Cathedralium Ecclesiarum, quam Collegiatarum, ac demum Dignitatum quae in ipsis Capitulis instituuntur. Ad Episcopum autem erectio aliorum beneficiorum et Ecclesiarum Parochialium

spectat, quin etiam in Capitulis jam erectis sive Cathedralibus, sive Collegiatis novos Canonicatus et Praebendas instituere, et dignitatem quae olim exstitit, et postea suppressa fuit, accedente Capituli consensu redintegrare, non tamen Canonicos Supranumerarios cum jure ad praebendas primo vacaturas creare potest. Praeterea Concilium Tridentinum cap. 1, 5 et 8 de Reformatione sess. 24 potestatem fecit Episcopis Canonicum Poenitentiarium in Ecclesiis tantum Cathedralibus, Canonicum autem Theologum tum in Cathedralibus, tum etiam in Collegiatis Ecclesiis constituendi. 2. Requiritur titulus, sine quo erectio ecclesiastici beneficii consistere haud potest. Nomine autem tituli significatur non solum Ecclesia vel Capella, vel ara alicui Sancto dicata, in qua sub ejusdem Sancti tutela et invocatione beneficium erigitur, et unde nomen desumit, verum etiam significatur officium ipsum spirituale, quod in eadem Ecclesia, aut Capella, vel ara obire Beneficiarius debet : functio enim munerum ecclesiasticorum, et cultus divinus est Beneficiorum fundamentum et finis. Cum vero spiritualia locum non occupent, nihil obstat, quin in una Ecclesia, atque etiam in uno eodemque Altari plura Beneficia erigantur. 3. Requiritur constitutio dotis, quo nomine veniunt bona certa, stabilia et frugifera, ex quibus Rector Beneficii annuos fructus percipiat. Dotem autem congruam esse oportet pro qualitate beneficii onerum, eaque dos donatione irrevocabili per publicum instrumentum, aliasve publicas Scripturas constituenda, et ab Episcopo in actu erectionis Beneficio attribuenda et applicanda est. Concilium Trid. sess. 24 cap. 13 de Reform. congruam Episcoporum designavit in annum fructus summam scutatorum mille, congruam autem Parochorum in summam scutatorum centum ex moneta illius Regionis, ubi Episcopatus, vel Parochia sita est. In reliquis autem Beneficiis quae dos congrua habenda sit, ex eodem Concil. Trid. Episcopi est decernere et judicare. 4. Denique decretum erectionis, quo Superior Ecclesiasticus praevio con-

sensu eorum quorum interesse potest, Beneficium ipsum in perpetuum titulum ecclesiasticum erigit, eique dotem applicat, legesque et conditiones approbat, si quas fundator praescripserit. Liberum enim cuique est largitione suorum honorum fundare beneficium, et statuere leges foundationis etiam juri communi adversas, uti si vellet beneficium conferri clerico ex suis consanguineis, aut certa civitate vel loco nato, aut non habenti aetatem a jure communi statutam. Hinc S. Congregatio Concilii in Senogallien. Capellaniae 9 Maii, et 6 Junii 1750, declaravit, valere conditionem « quam Patronus Ordinario approbante beneficio ab se erecto in limine foundationis, vel etiam ex intervallo ob reservatam sibi facultatem adjecit, ut deficientibus in familia vocata Clericis, possint etiam laici ejusdem familiae fructibus beneficii sic erecti gaudere, cum onere per Capellanum satisfaciendi Missarum oneribus, idque non jure et titulo Beneficii, sed jure saecularis administrationis, et absque onere recitandi horas canonicas, donec aliquis veniat de dicta familia, qui Clericus sit et obtinendo beneficio idoneus. »

Cum vero assensus Episcopi, seu Ordinarii formam et perfectionem foundationi et erectioni tribuat, et quasi contractus inter Ecclesiam (namque Episcopus non suo sed Ecclesiae nomine rem gerit) et fundatorem ipsum ineatur, illud plane consequitur, quod forma ipsius foundationis et erectionis, seu conditiones in limine foundationis praescriptae et ab Ordinario firmatae, tanquam leges inviolabiles servandae sint, et eorum observantia, executio, et conservatio ad jus publicum ita pertineant, ut neque a fundatore ipso vel ejus haeredibus, aut successoribus, accedente etiam consensu Episcopi, neque ab Episcopo cum consensu fundatoris ejusdem, vel ejus haeredum, seu successorum debeant amplius immutari, nec possint omnino. Sed nemo inficiabitur unquam potestatem immutandi vel derogandi fundatorum leges et voluntates in Romano Pontifice ob supremam et generalem Ecclesiae administrationem

residere: ea tamen potestate non utitur Pontifex, nisi ex justa et necessaria causa, ne fideles ab Ecclesiis aedificandis vel dotandis retrahantur.

§ 85.

DE UNIONE BENEFICIORUM.

Quidquid statum Beneficii immutat, innovatio Beneficii nuncupatur. Haec autem immutatio quatuor potissimum modis contingit: 1. *Unione*: 2. *Divisione*: 3. *Dismembratione*: 4. *Suppressione* seu *extinctione*, de quibus agendum est.

Unio beneficii fit, cum duae Ecclesiae, vel beneficia Superioris auctoritate ex justa causa inter se conjunguntur. Beneficiorum autem conjunctio temporanea seu personalis esse potest, vel realis et perpetua. Olim quidem fieri solebant temporanae beneficiorum uniones in gratiam alicujus personae ut quae beneficia distracte habere non poterat, ea invicem unita ad vitam possideret. Uniones hujusmodi improbarunt Sacri Canones, et praecipue Tridentina Synodus sess. 7 cap. 4 de Reform. ubi sancivit: « Ne plura beneficia per viam unionis ad vitam reciperentur, aut retinerentur. » Quapropter, docente Fagnano, in cap. *EXPOSUITI* 33 de Praeben. « unio ad vitam non proprie est unio, sed magis quaedam palliata dispensatio prohibita pluralitatis. » Itaque vera unio realis est et perpetua, cum scilicet plura Beneficia non personarum, sed Ecclesiae bono inter se uniuntur atque incorporantur. Quae quidem unio tribus modis fieri consuevit, vel *per exaequationem*, vel *per accessionem*, vel *per confusionem*. Unio *per exaequationem*, quae et aequae principalis dicitur, tunc fit, quando duae Ecclesiae vel Beneficia ita conjunguntur, ut neutra alteri subjiatur vel adhaereat, sed integri et incolumes cuique servantur proprius titulus, proprii fines, ac redditus omniaque jura primaeva et privilegia, perinde ac si revera duae distinctae essent Eccle-

siae, ita tamen ut semper conjunctim uni et eidem personae conferendae sint. Hac ratione Cathedrales Ecclesiae coadunantur; et in Ecclesiis seu Beneficiis inferioribus conjunctio hujusmodi fere nunquam usurpatur. Unio *per accessionem*, quae etiam subjectiva, servilis, inaequalis et accessoria dicitur, tunc fit quum una Ecclesia vel Beneficium alteri Ecclesiae, aut Beneficio jungitur, eique tanquam accessorium principali subicitur, ut proinde Ecclesia, cui fit unio, mater seu matrix vocetur, et Ecclesia unita tanquam filia habeatur; qua de re hujusmodi unio filialis interdum appellatur. Ecclesia vero, seu Beneficium subjective unitum, amisso proprio titulo et nomine, naturam induit Beneficii cui unitur, et efficitur illius membrum seu pars, ita ut quaequam onera, jura et proventus Ecclesiae unitae non cessent, haec tamen ad Ecclesiam principalem transferantur. Unio *per confusionem*, quae potius beneficii extinctio et suppressio dicenda est quam unio, fit quum suppressis titulis duarum aut plurium Ecclesiarum, seu Beneficiorum, nova inde Ecclesia aut Beneficium creatur, ut si ex duabus Ecclesiis Parochialibus, quarum tenues valde sint redditus, una tertia Ecclesia Parochialis, eaque novo titulo erigatur; novo inquam titulo, quandoquidem si ipsarum Parochiarum unus, vel uterque antiquus titulus sartus tectus servaretur, unio non per confusionem, sed per exaequationem, aut per accessionem coalesceret. Unionis per confusionem effectus est, ut jura et privilegia utriusque Ecclesiae mutuo confundantur, aut si consistere simul nequeant, praestantiora reserventur.

Sed peculiaria sunt quaedam in unione Ecclesiarum et Beneficiorum non quidem alii Beneficio, sed Corpori aut loco religioso, videlicet Monasteriis, Collegiis, aut capitulis Canonicorum, quae mediis praesertim saeculis obtinuerunt. Conjunctiones istae, quae ad vitam monasticam et canonicam instaurandam institutae sunt, triplici pariter forma absolvuntur. 1. Quidem quod ad temporalia tantum, ut nempe salvis juri-
bus spiritualibus et statu Beneficiorum sola administratio re-

rum temporalium, et jus percipiendi fructus Monasteriis, Collegiis, aut capitulis attribuatur. Inde coeptum est Ecclesiam ab Altari distinguere, et Ecclesiae nomine bona omnia temporalia et redditus veniebant. Altaris vero nomine Sacramentorum administratio et cura spiritualis significabatur. Cujus rei exemplum exstat in cap. PASTORALIS 7 de Donation. Itaque si legimus aliquando, et praesertim octavo saeculo laicos ipsos Ecclesiis potitos esse, eo nomine solae decimae et redditus temporales accipiendi sunt. 2. Fit unio quantum ad temporalia et spiritualia simul, quo intelligitur Ecclesias non tantum ratione reddituum temporalium unitas esse, sed spirituale etiam officium in Monasteria, Collegia seu capitula transivisse. 3. Denique fit unio quantum ad jurisdictionem Episcopalem, qua nimirum Monasterium seu Capitulum omnia consequitur jura spiritualia et temporalia, atque etiam jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum et populum Ecclesiae, vel Beneficii quod unitum est. Inde Monasterium, seu capitulum Vicarios ad regendas Ecclesias unitas approbat, easdemque visitat excluso Episcopo.

§ 86.

DE SOLEMNITATIBUS UNIONUM.

Beneficiorum uniones sunt odiosae et juri communi repugnantes, tum quia fundatores eo animo Beneficia instituunt, ut singula singulis conferantur, tum quia Sacri Canones vetant plura beneficia in unum Clericum coacervare, secus enim cultus divinus imminuitur. Igitur ne voluntas fundatorum fraudetur, Beneficia unienda non sunt, nisi Ecclesiae necessitas vel utilitas postulaverit; quandoquidem fundatores putandum est bonum Ecclesiae in primis spectasse; quatenus autem uniones juri communi vulnus infligunt, a legitima potestate efficiendae sunt; et idcirco omnis unio ex justa causa